

J. Wang, préparation à l'agrégation de Lettres Classiques / Grammaire, 2021-2022, S2
À rendre avant le samedi 15 janvier (casier au DSA)

Version latine n°3 : le repentir d'un père

Le vieux Ménédème se confie à son voisin Chrémès et s'accuse d'avoir été trop dur envers son fils, Clinia, qui a fugué depuis trois mois.

Est e Corintho hic aduena anus pauperula ;
eius filiam ille amare coepit perditae,
prope iam ut pro uxore haberet ; haec clam me omnia.
Vbi rem rescui, coepi non humanitus
neque ut animum decuit aegrotum adolescentuli
tractare, sed ui et uia peruolgata patrum.
Cottidie accusabam : « Hem ! tibine haec diutius
licere speras facere me uiuo patre,
amicam ut habeas prope iam in uxoris loco ?
Erras, si id credis, et me ignoras, Clinia !
Ego te meum esse dici tantisper uolo
dum quod te dignumst facies ; sed si id non facis,
ego quod me in te sit facere dignum inuenero.
Nulla adeo ex re istuc fit nisi ex nimio otio.
Ego istuc aetatis non amoris operam dabam,
sed in Asiam hinc abii propter pauperiem atque ibi
simul rem et gloriam armis belli repperi. »
Postremo adeo res rediit : adolescentulus
saepe eadem et grauiter audiendo uictus est ;
putauit me et aetate et beneuolentia
plus scire et prouidere quam se ipsum sibi :
in Asiam ad regem militatum abiit, Chreme. [...]
Vbi comperi ex is qui ei fuere conscii,
domum reuortor maestus atque animo fere
perturbato atque incerto prae aegritudine.
Adsido : adcurrunt serui, soccos detrahunt.
Video alios festinare, lectos sternere,
cenam apparare ; pro se quisque sedulo
faciebant quo illam mihi lenirent miseriam.
Vbi uideo, haec coepi cogitare : « Hem ! tot mea
soli solliciti sunt causa, ut me unum expleant ?
Ancillae tot me uestient ? Sumptus domi
tantos ego solus faciam ? Sed gnatum unicum,
quem pariter uti his decuit aut etiam amplius,
quod illa aetas magis ad haec utenda idoneast,
eum ego hinc eieci miserum iniustitia mea ! »

Térence